ram Cenaan, quam populo huic promiserat, vocat *requiem*: sicut & alijs locis, Deut. 25. Iosue 1. Requies laborantibus & adflictis competit. Præcessit labor & adflictio, primùm peregrinationum in Abraham, Isaac & Iacob: deinde laborum & exactionum totius populi Israëlis in Ægypto, annis quadringentis: tertiò molestiarum solitudinis. Hisce laboribus & adflictionibus solatij gratiâ promissionem futuræ quietis adiecerat. Hæc est philanthropia Dei, qua mortalium labores & æruinnas miseratus, adflictis & laborantibus requiem destinat & parat. Est autem quietis genus triplex. Corporum vnum, quod temporarium est. Talis erat requies, cuius hîc fit mentio. Talis erat etiam sabbathi, sicut patet in Decalogo: Vt requiescat seruus tuus, *inquit*, & ancilla tua, sicut & tu. Animorum alterum, quod spirituale est. Huiusmodi requiem pollicetur nobis Christus dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quoniam mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Hanc quietem vnius hominis spiritui ne totus quidem Mundus dare potest, nisi solus Christus. Ea est pax conscientiarum, quæ per fidem in Christum acquiritur. Roman 5. Tertium genus quietis est & corporum & animorum simul. Primum genus quod corporum est, ita haberi potest, vt interim animus non quiescat. Alterum quod animorum est in Christo, ita datur electis & fidelibus, vt corporibus interea sint admodum laborantibus & adflictis. Sic dicebat ad discipulos: In Mundo pressuram habebitis, in me verò pacem. Hanc quietem animi pacati Apostolus in medijs tribulationibus, peregrinationibus, fame, siti, nuditate, carceribus, &c. possedit. At tertium quietis genus tale est, quo & animus & corpus quiescant. Et hæc quies triplicis generis est. Primum, quo corpus & animus somno perfusa post diurnos labores, ad tempus quiescunt. Hac quiete vires corporis reparantur, & mens diurnis curis & sollicitudinibus fatigata, recreatur. Quies hæc planè diuinum & mirabile donum Dei est, quo se plurimi magna stultitia priuant ipsi: de quibus illud est Eccl. 2: Nec per noctem mente requiescit. Alterum plenius & prolixius est, quod mortis beneficio acquiritur. Lazarus corpore quiescebat à sua miseria, sepulturæ traditus: vnde & sepulturæ Christianorum rectè κοιμητήρια: id est, *dormitoria* vocantur: spiritu verò in sinu Abrahæ refocillabatur. De hac quiete est illud: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodò iam, dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Tertium est plenissimum ac sempiternum quietis genus. Plenissimum, quòd anima & corpore coniunctis in æterna patria quiescemus. Sempiternum, quòd nulla molestia requiem hanc interrumpet, nedũ terminabit. De hac quiete est illud Pauli 2. Thessalon. 1: Et iustum est apud Deum retribuere tribulationem his qui vos tribulant: vobis aũt qui tribulamini, requiem nobiscum in reuelatione Domini nostri Iesu Christi, cùm de cœlo cum angelis, &c. Et Ebr. 4. locum hunc Paulus isti æternæ quieti applicat. Hæc rite considerata, suprà modum pijs ac fidelibus mentibus φιλανθρωπίαν hanc Dei commendabunt, qua tot quiescendi modis, miseris mortalibus consulere voluit.

Deut. 5. *Matth. 12* *Ioan. 16.* *Apoc. 14.*

A B

Meam. Notandum autem & hoc est, quòd non simpliciter dicit, *Si introibunt in requiem*: sed, *Si introibunt in requiem meam.* Terram hanc suam *requiem* vocat: non quòd ipse in ea quiescere voluerit, nisi typicè in arca testamenti: nec quòd aliam quietem populo suo non parárit, nisi terrenam illam & transitoriam: sed quòd hanc patribus huius populi diu antea pollicitus fuerat, & Israëlem ex Ægypto ad possessionem illius acceptandam per desertum duxerat. Respicit autem omnino ad contemptũ incredulorum, quo terram hanc desiderabilem desperant, illamque ingredi noluerant. Quasi dicat: Paraui populo meo requiem, verùm hanc contempserunt: non ingredientur igitur in requiem meam. Sic Lucæ 14. dicebat paterfamiliâs: Nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnã meam. Q. d. Quam illis studio beneficentiæ paraueram. Ita posset illis qui cœlestes sedes præ nugis huius terræ contemnunt, dicere: Seruabo mihi cœlum meum, nec quenquam istorum qui beneficentiam hanc meam floccipendunt, ne ad lumina quidem illius admittam.

2. Deinde notandũ est, quòd se errantibus, & vias suas ignorantibus iratum fuisse dicit. Conspicuum hinc est, non fuisse eum questum de simplici errore & ignorãtia, quũ simpliciter errantes & ignorantes veniam & commiserationem mereantur, non iram: sed de malitioso errore cordis, & destinata & nequitiosa ignorantia. Expende etiam, qualis sit hæc ira, & vnde nascatur. Sic solent irasci qui vehementi studio præditi sunt ad benefaciendum sicubi senserint se fruſtrà laborare in iuuandis ingratis & incredulis. Sic Lucæ 14. paterfamiliâs iratus dicitur illis, qui ad nuptias inuitati venire nolebant.

3. Tertiò obseruemus & hoc, quòd iratus iurauit, incredulos illos non ingressuros in requiem suam. Ergo requiem iureiurando populo huic promissam, rursus iuramento incredulis denegauit, atq; ita iuramentum iuramento oppositum. Sic legimus Deut. 1: Cùm audisset Dominus vocem sermonũ vestrorum, iratus iurauit, & ait: Non videbit quisquã de hominibus generationis huius pessimæ terram bonam, quam iuramento pollicitus sum patribus vestris. Quis vtrobiq; alius est iurisiurandi vsus, quàm vt tam certum esset, non ingressuros indignos, incredulos, murmuratores, ingratos & contemptores in requiem Dei, quàm certum esse voluit, ingressuros credentes & gratos? Prius iuramentum fidem faciebat, omnino daturum Deum Israëli hanc terram. Alterum contrà & hoc affirmabat, in hãc terram haudquaquam ingressuros incredulos. Vtraq; hæc volebat esse quàm certissima, ideoq; illa & iureiurando firmauit.

4. Quartò, considerandus est etiam locus Apostoli, Ebr. 4. Quæ Israëli acciderunt, typi fuerunt & figurę eorũ quæ spiritualia sunt & circa veram ac sempiternam requiem electis cõtingunt ac reprobis. Hinc Apostolus admonitionem inducit Ebr. 4. ex hoc loco desumptam, admonens fideles, vt exemplo Israëlis cauti, vocem Domini audiant, fide percipiant, atq; ita in requiem illã cœlestem ingredi